



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

2. Doctorum placita varia de Angelorum locutione per signa obiectiua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94285](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94285)

ad nostram locutionem præstituti intelligi potest. Secundo excoctari angelica locutio valet, per alia media, quæ in eorum omnium cognitionem duant Angelum, cui alius loquitur, quin ea media debeant ab illo prænotici: nempe specierum impressione (quas vel impressas, vel expressas vocamus) à loquente Angelo, vel à Deo in auditum immittantur, quæ in hoc, vel actiue, & virtualiter, vel formaliter, & expressè omnium præfactorum cognitionem in auditu, vel audiente Angelo ponant, quin ipsas prænotici ab Angelo, vel auditore, vel audiente sit opus, etsi posterius natura ab ipso cognosci possint, debeantque, & naturaliter, ac de facto cognoscantur: semel enim habita eorum omnium cognitione, quæ auditio ab alio, qui loquitur, stat necessario, ab audiente cognoscitur ipsum illum, ea omnia ipsi loqui, ac proinde, eius locutio, etiam præterita in memoria audientis adferuatur.

6. Sed ne de re, & subiecto, vel non supponente, vel saltem incerto, tam longa disputatio suscepta, & tandem ab Scholasticis agitata, à nobisque versanda videatur, Angelorum inter se locutio, nec solum possibilis sed de facto statuta est. Et quidem eam de facto esse non solum à ratione, sed ex fide Catholica constat. Primo ex Zacharie capite primo, numero 11. *Respondimus Angeli equis suis variis & albis indidentes, Angelo Domini, qui stabat inter myrtas, & dixerunt, &c.* capite 2. *Ecce Angelus, qui loquebatur in me egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum, &c.* 1. Corinth. 13. *Si linguis hominum, id est idiomatibus, & Angelorum, quibus ipsi inter se loquuntur, ut Chrysostom. ad eum locum hom. 32. Ambrosius, & alij Patres, & interpretes ecumeni. Theodoretus, & Basilii homil. in initium Evangelij Ioannis circa medium quibus sane consentiunt Theophylactus, & Prosper, epistola ad Demetriadem recitati à Valquez questione d. 211. capite primo, §. Verum Theophylactus, Apostolus Iudas in sua canonica epistola, numero 9. Cum Michael Archangelus, cum Diabolo disputans, altercaretur de Moyse corpore. apocalyp. 7. Angelus ad quatuor alios clamabat. Nolite nocere terræ, & mari, &c. à ratione probatur: quia Angeli natura sua rationales, ac subinde sociabiles, & communicabiles inter se creature sunt, atque spirituales suam Rempublicam perfectam, nostra humana longe perfectiorem constituentes: atqui nec rationalis societas, communicatio, & amicitia, nec Rempublica rationalis recta (quoad causas secundas attingit) gubernatio, & dispositio, absque affectuum, & sententiarum, mutuis inter se cuiusque Angeli ad alios manifestationibus, quæ colloquiis ad invicem fieri necessario debent, stare potest.*

CERTAMEN II.

Doctorem placita varia de Angelorum locutione per signa obiectiva.

1. Prima sententia est assertentium, per signa aliqua obiectiva ad placitum, & ex conventionem Angelorum significantia, id quod, quisque Angelorum significare Angelus, aliis Angelis, ac loqui velit, ac loquatur, eiusque iudicium, & loquentem, siue eum esse, qui loquitur manifestum fieri Angelicam locutionem. Sub hac autem generali sententia speciales aliquot Doctorum sententiæ continentur: quidam enim aiunt corporea signa esse, colloque corporeo, vel aëri impressa ab Angelo loquente, verbi gratia, figuras, & characteres, vel sonos vocibus nostris similes, quas dubio procul Angelus alter cognoscit. Ita Durandus in secundo, distinctione 11. questione secunda, quamvis quoad figuras,

& characteres ex ignominatis relatas, ab eis diffinere & impugner. Quoad sonos vero corporeos, aëri impressos, eam expresse docet. Pro eadem parte noster Molina, sed mala recentiorum ipsum citantium fide, nosseque Atriaga d. 12. sect. 1. n. 2. §. Omittit argumentum planissimum. & si alia suppleret, censet veriores. Alij vero Doctores signa hæc obiectiva ad placitum, quibus Angelus mutuo, & vicissim proprio ipsi idiomate sibi loquuntur, spiritualia prorsus esse & loquenti inharrentia censent, ut natus Angelicus, quidve aliud, etsi nobis ignotum, ipsi vero notissimum. Agidius in 2. d. 10. q. 3. a. 1. in cuius resolutione Atriaga. q. 1. a. 2. Cheloueros in 2. Damasceni de fide, c. 3. ante med. Hieronymus commentario quodam in epistolam Pauli ad Corinth. citatis verbis ex cap. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum Melchior Canus ad eadem verba Molina noster in 1. partem S. Thomæ q. 106. a. 1. d. vn. concl. 1. Quirous d. 13. lect. 2. 3. & 4. Motum spirituale Angeli (v.g. circularem vel quadratum, vel triangularem pro signo obiectivo, quo alteri loquitur designans. Pro qua etiam sententia referuntur Nicolaus de Lyra, & glossa ordinata, ad ea verba Apostoli: docent enim Angelo cuius inesse aliquid, aliis naturaliter notum, quod cum ab ipso ordinatur, ut sui cordis secretum alteri, quod alias ignoraret, manifestet, tunc loqui ad eum aiunt, & ita ordinandi facultatem, linguam Angelicam vocant. Quibus naturalia signa spiritualia Angelicam locutionem designant, & in quibus adæquate sumpta Angelica locutio non fit, sed addas potius ordinationem Angeli loquentis, ut ad hunc signatum alias sui cordis secretum manifestet: quod si signis illis naturalibus, omnibusque Angelis notis fieri nequit, quare aliud, quod ex ea libera loquentis ordinatione eis signis naturalibus, & communibus accedit, ut secreti cordis Angelici signa sint non explicant: an vero signa obiectiva ad placitum, an naturalia solum, ac non obiectiva, tamen si eloquentis libito, in ipso vel in auditore, Angelico sint producenda, & appendenda, non explicant. Quare pro hac sententia nequeant hi duo, imo nec pro generali, sub qua specialis hæc secunda sententia continetur, recentiori liquorem, an obiectiva signa naturalibus ordinationis illius an ipsa intuitiva, & libera ordinatione signorum illorum obiectivorum, & naturalium, & communium, ac locutio Angeli vni ad alium compleatur præfari duo interpretes non explicant.*

2. Hanc porro sententiam, & ipse locutioni humane nobis familiari, & notiori familiorem, cum generalitatem, tum speciatim per signa obiectiva, spiritualia excoctatis carceris. Propter suam probabilioris censet Valquez citat. d. c. 10. num. 57. §. Quædam hæc sententia. Esse vero possibilem, & ut faciliorem aliis admittendam, si alia, quam ipse sequitur esset facilius, docet noster Atriaga d. 12. sectione prima, numero tertio, §. Sit ergo secunda sententia à quo usque ad §. Quodsi dicat, Soarj, & recentiorum impugnatores, dissoluit, de quibus pauca nos subiciemus, quæ sufficiant. Specialis autem sententia prima de signis obiectivis materialibus, & ad placitum, vel characteribus collo, vel sonis nostris vocibus similibus aëri impressis non ita absolute reicienda de possibili, imo nec de facto est, ut à nonnullis reiecit, quia Angeli linguas omnes humanas, & idiomata, etiamque voces, & characteres perfectissime norunt, ac proinde eis inter se loqui, & audire commode possent, & linguarum namque homines duarum nationum, & linguarum nationum, si natiue alterius alteruter petius eriam sit, & ita fortasse per emergentes demon volent se manifestare: & cum Angelorum colloquia Zacharie, & Ioanni citatis locis innotuerunt lingua, & idiomate humano, eisdem noto collocutos, Angelos ita inter se fuisse, ut eos vterque audirent, nobisque, ea manifestarent, & scripto reliquerint, dubium mihi non est. Cum enim ita colloqui Angeli absque dubio poterint (ut omnes farentur) atque ratione proxima demonstravimus, atque si ut ea colloquia ab his Prophetis perciperentur habita ab Angelis illis ex Dei voluntate fuerint, minori opera, & operationum sumptibus habita ab illis fuisse conaturalis est: idiomate

idiomate enim Prophetis non Angelis colloquentibus una operatione, qua ipsi colloquebantur, colloquia illa Prophetis præfatis innotescerent; secus si lingua solis Angelis nota, versaque rursus in linguam, & idioma humanum notum Prophetis, illa colloquia perciperent: ergo de facto idiomate humano Prophetis noto colloquio Angelis illi sunt, ne otiose, & operationes, & locutiones, multiplicatas tunc fuisse admittamus: quare negantes absolute Doctores Angelos de facto signis corporeis, seu sonis vocum nostrarum similibus loqui deciperentur, si de colloquiis eorum habitis, ut homines etiam audiant loquerentur; non vero de ira habitis Angelorum colloquiis loquantur, sed de habitis inter se se solum, ut Angelus audiat, atque illi soli, utque solus Angelus, vel Angeli, non autem homo aliquis eorum colloquia simul percipiat, ut ex eorum ratione claret, quam iam subicimus.

3. Nunc vero non de lingua, & idiomate, quasi alieno (ut humana omnia nostra respectu Angelorum sunt, est Angelis notissima) sed quasi nationali & proprio, & nativo Angelorum, quo inter se loquantur, disputatur: illud vero, quasi nationale, & proprium idioma non posse vocibus, sonisve aut characteribus corporeis stare, quare neque ea lingua, aut characteribus corporeis sibi mutuo Angelos de facto loqui, certum esse debet: lingua quippe propria, nativa, & quasi nationali, eiusdem nationis gentisque, & Republicæ concives sibi invicem loqui connaturalissimum est: dum aliud non occurrit, ex quo eos alieno alio idiomate, quod loquentes notum magis expediat, ut in enumeratis casibus, ut qui alienam linguam ignorant, colloquentes perciperent dum colloqui secrete volunt ne adstantes percipiant quid loquantur, quod autem nativa, & propria, seu quasi nationalis Angelicæ Republicæ lingua, locutioque verbalis, vel scripta sonis corporeis vocum nostrarum similibus æri impressis, vel characteribus æreo efformatis stare non possit, facile probatur. Quia ut diximus, Angelorum natura per se sociabilis, & communicabilis unus Angelus, ad alium, vel alios Angelos est, atque in Republicam ex Angelis cunctis, & solis constantem componibilis: atque hæc, sine locutione, & communicatione alterius ad alterum, vel alios Angelos conceptuum, affectuum, & sententiarum propriarum, cuiusque fieri nequeant: ergo natura sua, & per se Angeli locutionem aliquam concernunt, ac respiciunt, nequeant autem concernere, & respicere natura sua, & per se locutionem, per signa aliqua obiectiva corporea ad placitum (& idem est naturaliter) conceptus affectus, & sententias, cuiusque Angeli aliis Angelis, significantia, ergo aliam locutionem, nullatenus, per signa obiectiva corporea, sed incorporea per se, & natura sua Angelorum natura, atque Angeli concernunt, & respiciunt. Minor probatur, quia Angelorum natura & Republica realis, secundum se præcise & nude sumpta nihil corporeum per se, & natura sua respicit, & concernit (ne materiam quidem primam) quam nostri animi, utpote formæ, & substantiæ partiales concernunt, exiuntque naturaliter: ac proinde corporibus cunctis completis, incompletis, & accidentibus, quibuscumque omnibus, quare & signis, ac locutionibus corporeis, non existentibus, factisque impossibilibus angelica natura, & Angelorum Republica, realis communicabilis, & societas rationalis persistat, quæ absque eorum mutuis colloquiis, eo casu non existentibus, & impossibilibus corporeis esse non possent: ergo linguam, & colloquia alia spiritualia, & incorporea natura, Republica, societasque, & communicabilitas rationalis, per se, & natura sua concernunt, & respiciunt, quæ propria nativa, & quasi nationalis angelicæ communis, & Republicæ sunt: & hæc de speciali hac sententia locutionis angelicæ per signa obiectiva corporea in quocumque constituantur.

4. Secunda specialis sententia de signis spiritualibus
Christoph. de Orde de Deo Vno, Tomus II.

libus obiectivis ad placitum significantibus impugnatur à Soario, & aliis Recentioribus: quia cum ea actus vitales Angelorum non sint (qui ad secreta cordis spectant, non ad eorum manifestationem, qua secreta cordis esse desuere) debent esse qualitates, & accidentia spiritualia, non vitalia, inexplicabilia, & intelligibilia, gratis ab huius sententiæ Patronis conficta. Verum spiritualia, accidentia, & signa non ideo rejicienda sunt, quod à nobis explicari plene, quid sint, nequeant: ut patet in characteribus per Sacramenta aliqua animis ea suscipientium impressis: nec gratis finguntur, sed ad defendendam veritatem fidei de locutione angelica nativa, quæ aliter, iuxta hos auctores, defendi nequit, ut ex aliorum modorum impugnationibus contendunt. Alias huius sententiæ impugnationes expendam, numero quinto, ubi generalem sententiam de locutione nativa, & propria angelica, per signa obiectiva, ad placitum (sub qua speciales de signis spiritualibus, & præcedens, de corporeis continentur) universim quare, & duas hæc refellam. Nunc signa aliquot spiritualia ab huius sententiæ omnibus Doctoribus data, confuto. Et primo spirituales natus, qui ab eis omnibus designantur: etenim natus illi spirituales Angelorum, nil aliud esse possunt, quam assensus rei alteri manifestandæ, nempe obiecto illi à loquente manifestando, & indirecte iudicii, quod loquens de illo, vel habet, vel fingit se habere, & voluntatis, quam idem loquens, id ipsi manifestandi habet. Hæc autem omnia actus vitales intellectus, & voluntatis, vel directi, vel reflexi sunt, & quæ proinde ad secreta cordis pertinent. Secundo, vel natus illi, seu actus vitales loquentis, seipsis alteri Angelo, cui loquitur innotescunt, causando seipsi, in audituro, vel immediate, vel media specie impressa actus, vel saltem exactius (de quo ad præfens disputare opus non est) obiectorum tam directe quam indirecte, manifestatorum cognitionem: vel non ita, sed per signa alia obiectiva eorum omnium quæ loquitur: si postremum, de iis obiectivis signis, spiritualibus tota redintegratur quæstio, quidnam præter actus perfectos vitales sint, si natus sunt, ut hi defendunt, & sic in infinitum, nisi demum à sua sententia recedant, ibimus. Si primum: hæc signa, nec obiectiva signa sunt quæ ad placitum, sed naturalia, & naturaliter significantia, atque alteri se manifestantia, ubi eorum pleraque à loquente concipiuntur, quod est, in sententiis alias, deinceps examinandas, abire, atque ab ea, quam hi Doctores tuerentur, & nunc impugnamus abscedere.

5. Quirous noster citata sectione secunda, spiritualia hæc signa ad placitum in termino producto per metum localem per se, & communiter loquendo constituit, ut verbi gratia, Michael velit motu suo, vel potius præfentia sua circulari significare suum Dei amorem perfectum, hancque significationis voluntatem impressa specie ab eadem sua voluntate Gabrieli immissa manifestet, qui solus, ut secretum cordis, pro Michaelis libito servetur, eo motu, & præfentia visa amorem Dei Michaeli adeffe cognoscat, & sic de aliis modis, & præfentis semicirculi, anguli, trianguli, quadranguli &c. ad alios affectus Michaelis, & obiecta alia omnia singularim ab ipso, Angelis aliis, ut velit manifestanda. Hæc autem locutio, ut mittam ridiculum apparere, ut scilicet, non nisi, &c. angulusve, aut triangulus & motu, & præfentia sua Angelus constituitur, loqui alteri aliquid possit, ad speciem impressam à loquente Angelo, vel actum vel exactum in auditurum immisionem, qua sola Angeli locutio explicari, & secreta locutio, illi, cui solum loqui velit, sensari facile possit, occurrit. Secundo: hæc via secreta unus Angeli ad alterum solum Angelum locutio, pro qua hic locutionis motus excogitatus est, ægerime solvatur, nisi pro quovis Angelo audituro diversa signa eiusdem obiecti manifestandi, ac subinde, lingue, & idiomata multiplicentur: cum eos motus, & præfentias Angeli loquentis reliqui Angeli videant: id quod hic author, eoque amplius (nempe non solum pro

Angelorum

Angelorum, sed temporum diuersitate cuiusque Angeli ad quævis signa, & idiomata multiplicari) admittit sectione tertia, numero decimo, & vndecimo, cum autem innumeri pene Angeli existant, atque innumeri sint absolute possibiles, quibuscum cuius Angelo possibilis absolute locutio esse potest, fiet: linguas, & idiomata cuiusque Angeli, primo diuersa, innumera de facto, & absolute possibilia esse admittenda: quod, ut absurdum intulit contra nostrum Alarcon. d. 4. capite sexto, Quotus ipse sectione secunda citata, numero nono, estque absurdissimum, contra quamcumque sententiam legitime inferatur: etenim pro quavis Republica, & natione, & gente, lingua aliqua, & idioma commune (si eo, ut sibi rationalis indiuidua in eis contenta opus sit, ut mutuo de priuatis, & communibus colloquantur) assignari debet: esto ad priuata communicanda possint aliqui de signis, & idiomatibus priuatis inter se conuenire: ob hæc idem Quotus sectione quarta, dum præfatam sententiam explicare promittit vere eam retractat. Ad hæc, ut sectione tertia, numero 13, objectionem tertiam propositam numero 12, dissoluit absque necessitate decurrit ad reflexam cognitionem voluntatis Angeli loquentis de significata signorum obiectiuorum, seu motuum, & præsentiarum localium, ut ab ea potius, quam à voluntate ipsa species in audiente actiue, vel exactiue proueniant contra ea, quæ ex ipso sectione secunda, numero septimo, referebamus, numero quinto. Atque insuper Valsequez nostri opinione ac præcipue, ut ab Arrubale temperatur, seu explicatur non parum sapit, quos tamen ipse reuocat sectione prima, numero sexto, & sectione 2. numero 15, quin, ut iuxta hanc eius doctrinam defendatur alio opus habeat, quam ostensione veræ possibilitatis mendacij in locutione angelica; ex cuius ostensionis, ac defensionis impossibilitate utrobique Valsequium, Arrubalem, tanquam firmissima, & tritaria impugnatione confutat. Est autem leuissima: siquidem, si dicas voluntatem illam loquentis esse manifestandi alteri iudicium directum, quod de re, seu obiecto non aubeat, facile mendacium Angeli loquentis ostendetur.

6. Sed ut dixi retractat hæc impugnatam sententiam, dum eam explicat sectione quarta, ubi numero 19, ait: linguam hanc per signa ad placitum, quæ motus locales, siue eorum termini, & præsentie sint, esse Angelis omnibus, vel saltem cunctis hierarchiæ, cuiusque communem, in eo vero, sunt difficultates plures & grauissimæ. Primo: quia, ea communi lingua motuum, & præsentiarum, vnde cumque Angelis nota, siue per insulam à Deo eis omnibus notitiam, siue aliunde habitam, nullus Angelus priuatum, & secretum alicui loqui poterit, quin alij audiant, & intelligant, contra ipsorum voluntatem, quin loquantur: cum enim cuiusmodi motus, & præsentias reliqui Angeli naturaliter percipiant, & intelligant teste Quotus numero 23, & quisque alteri motibus hæc, & præsentias loquatur, omnes quid illi loquatur percipient, nisi Deus miraculosè concursum cæteris denegatus ab adherentis absurde asseratur. Respondet Quotus numero 20. & 21. motus, & præsentias istas locales solum percipi posse ab Angelo, cui alter loquens penetratus est, si loqui ipsi secreto velit, vel pluribus, si velit pluribus: quare non posse loqui distantibus; quod ipsum debet dicere de non penetratis vicinis. Sed quam male illud admittat, nec reputet absurdum: constat ex illo Angelorum ascendente in celum Christum constantium, cum Angelis celo commorantibus, colloquio apud Psalmum 23. *Attollite portas principes vestras, &c. & quis est ille Rex gloriæ: Qui sane penetrati alij, aliis non erant; immo vero non parum distantes; ex quo patet, quam male ad hanc actiuam spirituales locutionem, & auditionem, illo principio agentium & passorum materialium corporeorum, notissimo, (cui non solus, sed cum plerisque in præfata questione) ratur citato numero 21. nempe, *agens non posse agere in distans, quin in propinquum*: quod in agentibus, & operantibus spiritualibus maxime si voluntate, ut in*

præfata, agent) verum, aut veri fundamentum non habet, ut mox videbimus, atque in Deo ostendimus. Tomo primo, controuersia prima de attributis cuius ubiquitatem ex eius operatione ubique multatam demonstrari monstrantes: etenim pure spiritualis operatio maxime à voluntate proueniens, à loco intermedio, & spatio corporeo, siue reali, siue imaginario non pendet: quare neque villa, eius distantia, vel propinquitate augeatur, vel impediatur, ut nolite sententiarum confirmatione videbimus: sed eo etiam principio in spiritualibus admisso certe præfatis in proximo immediate loco, & vicinis Angelis aliis pro sua, ut possint, voluntate secreta duorum inter se locutio esse non possit, cum aliis pateret, et loquens nihil ageret in distant quin in propinquum: Ergo male asseritur loquentis, cum audiente necessaria penetratio, ut illius per hæc signa locutio percipiantur; insuper, cum ipse species ab obiectis non actiue, sed exactiue à Deo Angelis ministrari docet, sectione quarta, numero vigesimo secundo, ex d. 76. mil distantia Angelorum officit, nec eius improprio in obiecto per se, ac secundum de esse potest, ut ibi contendit, quæ à Deo naturaliter nequeat suppleri; maxime cum hic, quod exigit, non obiectum locutione manifestandum, sed voluntas loquentis, de eo alteri manifestando sit, quæ nulla distantia possit impediri. Rursus immotus localiter omnino Angelus loqui non poterit: quod etiam hominum locutioni contingat, quæ absque alicuius parit, scilicet lingue, sonos varios aëri in voces efformando impingendos necesse sit, id autem de pure spirituali locutione angelica asserere nimis crassum, & ridiculum est. Denique angelus moueri nequit (maxime cum indiuisibilis entitatis substantia sit, nec secundum partem possit moueri) quin totus moueatur, & præfata signum figuram localem habeat, nec, quin loquatur. Item innumera, quæ cognoscit, locales motus suos possibiles, & præsentias, numero superant, siquidem motus hos, & præsentias eis adquirent omnes alii Angeli manifestare Angelus potest, loqui posse debet: quare, et motus omnis angeli signum sit, per quod aliquid loquatur eis motus, & præsentias ipsas (quæ sui ipsarum signa, præfata ad placitum, esse nequeunt) loqui non poterit; ac proinde euit lingua hæc insufficientis, atque euit ad alium linguæ, & signorum modum, ut completa lingua Angelis donec recurramus, quod tandem admittit Quotus sectione tertia, numero decimo primo in fine, ne Angelum immotum proliis loqui non posse admittat, ac in perpetuo motu esse debet, dum loquitur. Mitto alia locutionem per signa obiectiua, quævis ad placitum vniuersim impugnantia iam subiicienda.

7. Primum sit ex impossibilitate secreta locutionis vnius Angeli ad alterum, quin alij audiant, quid inter se priuatum utrique loquantur, & audiant: si enim communis lingua per signa obiectiua quævis ad placitum omnibus Angelis sit, ut esse debet, eorum signorum significatio omnibus Angelis (vnde cumque velis de quo postea) debet innoscere: ergo semel ab Angelo exhibitæ ab aliis Angelis, (saltem non nimis distantibus) cognoscuntur, & subinde eorum significata, & quid vni Angelus alteri loquatur, ut in signis motuum localium assignatis à Quotus nuper ostendebamus. Hoc argumentum adeo efficax præcipuo huius sententiarum Patrono, & rei scholasticæ Principio Molinæ nostro, visum est ad citatam questionem 104. articulo primo, distinctione vnicâ, §. *Secunda conclusio*, sub finem, ut, si eas lingue notitia, per eius infusionem à Deo primum Angelis obueniat, eius solutiouem desperet: quanto vero iure, ex dictis constat, quod, et aliunde, Angelis tamen omnibus, vel pluribus, eius lingue notitia adueniat æquanim, & robore habet, ut patet: quare, si præter communem hanc linguam, per signa obiectiua ad placitum nunciam hanc linguam, per signa obiectiua ad placitum, & speciales alias pro innumero numero Angelorum, ut quisque alteri secretum loqui possit, quin alij percipiant, per

per signa privata ad utriusque placitum consignificationis ad modum eius quam hispanè dicimus *gerir-gonea degitar*; aduersariis ipsi abhorrentibus, in Angelis admittamus, secreta Angelorum locutio, pro cuiusque libito esse non poterit. Secundo: videntur eius lingue communis, & significationis ad placitum omnium illorum signorum obiectiuorum cunctis Angelis innotuit? Certe eorum omnium consensus, & beneplacitum ad alios mutuo habendum de omnium signorum significatione pro rebus omnibus aliis, & cuiusque libito manifestandis haberi concordi consensu non potuit, nisi prius cuiusque placitum de eorum significatione reliquis vicissim innotesceret, si ad ipsorum placitum significanda signa illa obiectiua sunt. Vel ergo omnium placita signis aliis obiectiuis ad placitum mutuo omnibus innotuerunt, & sic in infinitum signorum anteriorum, & anteriorum ad placitum significantiū absurde, & repugnantem abibitur: nisi tandem ad signa aliqua nusquam ad placitum Angelorum significanda decurratur, quibus beneplacita de significatione signorum obiectiuorum ad placitum, & ex consensu Angelorum, eis omnibus mutuo innotescant: ac qui eisdem, signisve similibus significantiis, & non ad placitum Angelorum, quo bene placita de eorum significatione signorum tuorum ad placitum, ex consensu Angelorum, mutuo Angelis innotescunt poterunt alia omnia ac Angelo quouis, cuius alteri manifestari, ergo ea erunt lingua, & idioma quo Angeli mutuo sibi quicquid velint inuicem manifestent, & pro libito colloquantur, quia signis tuis obiectiuis ad placitum significantiis locutio Angelica indigeat.

8. Confirmatur: quia aduersarij omnes, qui signa hæc obiectiua ad placitum, & ex consensu Angelorum significantiā, necessaria ad Angelicam locutionem defendunt, ex eius sententiā Primipilo, & dūc Mollino, nutibus spiritalibus mutuis Angelorum de eorum signorum obiectiuorum significatione ad placitum, cuiusque placitum reliquis mutuo significari docent, ac hi nutus spiritalis Angelorum de eorum signorum significatione, nil aliud, quam actus voluntatis, & beneplaciti vniuersi cuiusque Angeli de ea significatione, signis illius esse potest: beneplacitum hoc, vel cognitione, vel specie sui alteri Angeli impressa, vel aliter (iuxta mox referendas opiniones) tandem abique signis vllis obiectiuis ad placitum, & ex consensu Angelorum, significantibus manifestatur: ergo eodem modo voluntates manifestandi iudicium, & sententiam suam siue veram, siue simulatam Angeli cuiusque Angelis cæteris, & reliqua subinde alia ab eo manifestabilia, abique signis obiectiuis ad placitum appetentur.

9. Reliqui dicere possent indignatione quadam spiritali ad obiectum, ex Angeli indignantis voluntate significandum, signo spiritali suum placitum significante, quod tunc profert, cum obiectum designat: quemadmodum nos, cum *veris*, & aliis lingue nostræ ignaris voces proferimus, obiecta per ipsas significata simul demonstrantes, verbi gratia, panem, cum dicimus *panis*, &c. Hoc inquam difficile est. Primo: quia spirituales istæ indignationes, seu demonstrationes obiecti, ex eius placito significati, aut significandi, signo, quod tunc profert, nil aliud quam nutus præfati esse posse videntur: neque enim vti nos digitos habent, aut manus, quibus suam voluntatem de signorum significatione obiectis designatis, & indignatis demonstrent, vti nos pueri, & aliis, quos linguam edocemus, si autem ob hæc dicas eorum signorum obiectiuorum, ac significationis ad placitum notitiam primo infusam à Deo Angelis omnibus fuisse cum Alarcon. d. 4. capite 6. & Quirós tandem, sectione quarta, numero 25. (cui id proiecit sectione secunda, numero nono, & in Alarcon reprehenderit) vti Hebræam linguam dicitur Protoparentibus infudisse. Contra est primo: quia consensu Angelorum non esset, sed Dei: quare nec lingua propria, & quasi nationalis angelica formaliter, & actiue, sed materialiter sicut

Christoph. de Ortega de Deo uno, Tomus II.

cum tamen cuius rationali Reipublicæ facultas linguam propriam pro rationalium, quibus constat, placito condendi, vti pro libito inter se colloquantur indita sit. Secundo recurrit hic ad Deum ad designandam, imponendamque signis, quibus, Angeli loquantur significationem minus decens Philosophum, seu Theologum est: cum aliunde, facultati naturali Angelorum ad colloquendum inter se se ex naturali virtute ipsorum actione, aut ex actione physica facilius possint mutuo colloquia miscere.

10. Denique locutio hæc angelica per signa obiectiua ad placitum significantiā, eo præsertim fundamento inducta est, quod humana nostra locutio, quam experientia, & sensibus nouimus omnino assimilatur, & adaptemur; sed tamen certum per omnia est: cum de spiritalibus agitur, etiam non, nisi corporeorum ad instar, cogitari à nobis possint corporea tamen dedisci oportere, ne de spiritalibus, etiam corporeorum ad instar cogitatis, asserantur. Demum: si velis, ea signa obiectiua, non ad placitum, sed naturaliter significare, quæ Angelus loquens vult manifestare alij, vel aliis Angelis audituris multo ex capite impugnat apud Ariagam d. 12. sectione 1. numero 5, a §. *Quod si dicas*, quæ tamen leuia de se sunt, nec ad sui solutionem doctrinis ab hoc autore motis opus habent, cum se ipsis nutrent, & labascant: illud solum firmum, contra naturalem hanc signorum obiectiuorum significationem refertur ab ipso numero sexto, §. *quarto contra ea signa obiectiua*, circa med. quod, scilicet, non posset inter Angelos esse priuatum secreta locutio: quod sic proba. Quia, cum ea naturalia signa, vel causæ, vel effectus naturales sint (quo velis loco contineantur, vel cuius subiecto insideant, vt fumus, ignis) non poterunt non à cunctis Angelis, vel saltem, in proximo, nec nimis distanter loquenti, & audienti adstantibus percipi, id quod absurdum esse de se patet, & nuper ostendi numero 6. contra Quirós, quicquid absurdum, non esse reputet etiam Ariaga numero septimo, §. *Sed neque hæc arguit*: siquidem secreta locutio vnius Angeli ad alterum priuatum, atque ius eorum, ad illam ab horum voluntate, quoad vsum debet solummodo pendere. Quod autem alij plures, vel etiam omnes præfentes proximo loco imo penetrati priuatum, colloquantibus adstant, non ab horum, sed aliorum omnium & singulorum voluntatibus solummodo pender. Secundo: cum Angelus aliis Angelis non solum actus intellectus de obiectis, & voluntatem loquendi, sed obiecta alia omnia, de quibus, sic, vel aliter iudicat, aut fingit se iudicare, sua locutione manifestet, atque eorum obiectorum pleraque pure possibilia sint, & quæ pro eo strati, nec causam sui nec effectus habere possunt, nec signa obiectiua naturaliter significantia habebunt, per quæ Angelus Angelo loquatur.

CERTAMEN III.

Aliorum de Angelorum locutione sententia repulsa.

1. Venio ad Doctorum sententias de Angelorum locutione per signa non obiectiua, siue ad placitum, vel naturaliter significantia, & præcognita docentia, audientem Angelum in obiectorum, quæ ipsi manifestare vult Angelus loquens cognitionem; sed per signa, aut media potius alia, quæ incognita, ea, quæ Angelus loqui, & manifestare alteri vult audientem hunc cognoscere faciant, vel de se se, cum facere possint cognoscentem. Et hunc locutionis angelicæ modum alterum in generalem modum, & classem esse diximus, sub qua reliquæ omnes Doctorum, super angelica locutione speciales sententiæ continentur. Media autem hæc dilucidæ methodi gratia in media formaliter facientia audientem Angelum eorum, quæ ipsi alteri manifestant